

etiam ratione κλήσεως, vel καποικήσεως: verum duntaxat secundum posteriorem hunc communicationis modum, quo humana natura à divinis idiomatis denominatur, distinctio illa accipienda est, ut ita συγκοινωνήα ιδιώματα sint, à quibus caro CHRISTI denominetur: Ασυγκοινωνήα vero, à quibus denominari nequeat.

Diversitas
divinorum
Idiomatum
non tollit
simplicem
Deitatem

78. Diversitas verò horum idiomatum non tollit simplicem illam unitatem, quâ illa intra DEI essentiam sunt ἀπλῶς ἢ ἀδιαιρέτως unum. Fundatur enim illa non in hoc respectu, verum in alio, quem habent idiomata divina ad res externas & creatas: tum enim oritur eiusmodi inter illa discrimen, ut quædam sint & dicamur ἐνεργητικά, quædam ἀνεργητικά.

Idiomata
divina
ἀνεργητικά

79. Hæc definiuntur eiusmodi attributa, quæ intra Deitatem quasi tacita & quieta manent, certisq; ἐνεργήμασι forâs, ad id quod Deus non est, non progrediuntur, ut illis, tanquam actu secundo intelligi & describi queant: talia sunt: eternitas, infinitas, spiritualitas, simplicitas, &c.

Idiomata
divina
ἐνεργητικά

80. Ἐνεργητικά contra dicuntur idiomata, quæ ad id, quod DEUS non est, progrediuntur, certisq; ἐνεργήμασι in creaturis se proferunt: ut sunt, bonitas, sapientia, omnipotentia, misericordia, Justitia, &c.

81. Ist hæc autem idiomata, licet intra essentiam divinam, ut diximus, sint ἀπλῶς idem: tamen in respectu ad operationes ad extra non sunt confundenda. Non enim Deus suâ æternitate, sed omnipotentiâ creavit Cœlum & terram: Non misericordiâ damnat iniustū, sed iustitiâ: sic è contrario, non Justitiâ recipit in gratiam & salvat peccatorem, sed misericordiâ &c.

82. Cùm igitur illa tacitè intra divinam essentiam maneant, & per operationē ad extra se non proferant: denominatioq; tantum fiat ab agendi facultate, non

ab